

_Lettera_N_3359

Circolare ai benefattori

Riviera Ligure, IV nonas Februarii, anno MDCCCLXXXI

Ut in Urbe monumentum adstaret religionis nostrae ac devotionis erga Sanctissimum Cor Jesu, erigi coeptum est Templum in Exquilino, in vico Castro Praetorio, una cum Hospitio pueris pauperioribus alendis atque educandis.

Verum ad opus hoc sanctum periciendum, adprobante nec nonsuadente Leone XIII, P. M. a cunctis undique pii Christi fidelibus opem est in animo petere; res enim, quam adstuiamus, unice in decus vertit religionis atque in juventutis solatium, quae humanae societatis pars electissima vocatur.

Quo nomine jure deputamus qui, a nobis potissimum delectus, stipem possit colligere ex more folioli hic adjuncti, atque nobis transmittere.

Itaque nos, ut sanctam ex viribus voluntatem Leonis XIII, P. M. exequi possimus, hunc nostrum Collectorem etiam atque etiam omnibus, in aliqua vel civili vel ecclesiastica auctoritate constitutis, commendamus, praesertim vero Episcopis, Curionibus, atque Ecclesiarum Rectoribus, ut, quae sua est bonitas, ipsi velint opem adhibere atque consilium in omnibus, quae hac in re necessaria credentur.

Dominus vero, Cujus est bonitas et misericordia infinita, omnibus benefactoribus nostris benedicat, atque res prospere cedat. Et Cor Jesu, quod recte adpellamus omnium gratiarum aerarium et securum in rebus adversis refugium, nos suis cumulet thesauris, nos a praesentis vitae periculis abripiat, nos novissimo die peramanter suscipiat, nos demum ad praemium illud deducat, quod Ipse omnibus promisit, qui ex fide ac coelesti caritate operentur.

Joannes Bosco Sacerdos